



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

buunt, ut in suo quisque vitio plectatur, temeritas successibus adversis, negligentia damno, securitas subita vi impetuque sanciat, quique tibi supplex esse desierit, sine quo ne ad minimum quidem tempus salvi esse possumus, hostibus suis percutiendus, vulnerandus, occidendusque tradatur! Omnia igitur, quæ mihi fecisti, in recto iudicio fecisti, iudex justus & fortis; ut meo etiam exemplo discant homines, de propitiato peccato non esse sine metu, nec sensuum custodiam abjicere, sed cunctis diebus vitæ suæ tibi servire in timore, & exultare cum tremore.

C A P. XXXI.

MEa igitur culpa ab amicitia tua depulsus, nudus, inops, ac miser jacebam in luto, in quod rursum ipse me dederam; ad id solum à te sublevatus, quod casum meum intelligerem, & quo miseriarum devenissem, agnoscerem, neque illud, sicuti antea, me fugeret, qui ob id præsertim miser eram, quod miseras meas non sentirem, & anima mea in malis obstupesceret. Quod non leve tuum beneficium erat. Etenim spem dabat, me aliquando, tua ope, ex his malis elapsurum. Nam quemadmodum æger, morbo quamvis gravi periculosoque oppressus, propior est spei, quam desperationi, si mali magnitudinem sentiat: ita etiam peccator, quamvis vitiis omnibus cooperatus, non tenuem sanitatis spem affert, si infelicem suum statum mente animoque percipiat, seque sui misereat.

C A P.